

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe


De Mysterio SS. Trinitatis, In Libris Apocryphis Obvio, Disputationem Theologicam ...

**Haferung, Johann Caspar
Ludewig, Johann Caspar**

Vitembergae, 1718

VD18 11481293

[urn:nbn:de:bsz:31-130368](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130368)



60 A 2691,1

EX
BIBLIOTHECA
ILLUSTRIS
CAROLI HESYCHEI.

657/23

L. N. I.

DE

**MYSTERIO
SS. TRINITATIS,
IN
LIBRIS APOCRYPHIS**

OBVIO,

DISPUTATIONEM THEOLOGICAM,

AVSPICIIS

RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI

SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

DN. FRIDERICI AVGVSTI

ELECTORATVS SAXONICI HAEREDIS

PRAESES

IOHANN CASPAR HAZERUNG / D.

SS. THEOL. PROF. PVBL. EXTRA-ORD.

ET TEMPLI MARIANI ARCHIDIAC.

ET

RESPONDENS

IOHANN CASPAR LVDEVVIG, JAVRA-SILES.

SS. THEOL. ET PHIL. STVD.

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI

SVBMITTENT

IN AVDITORIO MAIORI

D. XXIX. IVN. MDCCXIII

VITEMBERGAE EX OFFICINA SAMVELIS CREVSIGII

1718

... hanc
... unde
... facit
... esse
... veni
... convic
... nativita
... illius
... natus
... il, quod
... iam,
... eum
... ari
... Meffiu
... juncta
... con
... Judae
... non
... mach,
... per
... il
... Juda,
... prope
... ingere
... mias
... An
... R. Sime
... Saccar
... hie
... accu
... tem
... re
... R. Lip
... te
... habet
... Mag
... Saccar
... sol
... de
... De
... ipi
... tunc
... p
... or. IX,
... on
... exp
... cogit
... Co
... ucia
... dextr
... De
... P
... glo
... VIII. 17

M. M. A.
DE
MYS TERIO
SS. TRINITATIS
LIBRIS APOCRYPHIS

CRVIO
DISTRIBUTIONEM THEOLOGICAM
A. V. SPICHS
LECTORIS MAGNIFICENTISSIMI
SENATUS SACRISANAE ROMANI
D. N. FRIDERICI AVGVSTI
ELECTORIS SACRISANAE HALLENSIS
D. JOHANNIS CASPARI SEEBERGERO
SACRISANAE THEOLOGICAE FACULTATIS A. ORD.
P. R. A. C. A. R. I. S. A. R. C. H. I. E. P. I. S. C. O. P. I. S. C. I.



I. N. I.
DE
MYSTERIO SS. TRINITATIS,
IN
LIBRIS APOCRYPHIS
OBVIO.



Mysterium trium distinctissimarum in simplicissima essentia divina personarum, et origo est caeterorum, quae profitemur Evangelici, mysteriorum, et salutis nostrae apex et fundamentum. Hinc tanto studiosus humanae beatitudinis hostis, Diabolus, id egit, ut hanc nobis doctrinam eriperet, et dubiam redderet. Sub Veteri quidem Testamento gentiles ab hoc dogmate abhorruisse tanto minus miramur, quia minoribus et rarioribus rivulis ad ipsos dimanabant fontes Israelis. At sub N. Testamento sine stomacho ferre nefas esset, quod illi, qui Christianos sese jactant, lucem ipsam obnubilare, et spei coelestis aditu praecludere nos conantur. Socinistas innuo, qui praedicant, Iustinum Martyrem Seculi II. Doctorem, qui initio Platonius fuerit, posteaquam ad Christianismum sit conuersus, hanc de SS. Trinitate doctrinam in Ecclesias Christianas inuexisse; Ante ipsum autem, neque Iudaeorum, neque Christianorum quencquam de ea audiuisse. Smalcii blasphema uox extat Praef. Ref. D. Franzii, haec: *Quis ex V. T. homini sensato dogma Trinitatis? quis filii*

A 2

prae-

prae-aeternitatem ostendet? Certe Iudaei antiqui istis scripturis omnibus fidem adhibebant, et tamen ista portenta prorsus ignorabant. Quam impudentiam an ulla Iudaeorum, qui iam uiuunt, peruicacia, uel adaequet, uel superet, merito dubitatur. Nam de priscis illis, qui ingenui Israelitae erant, dubio uacat, ipsos sanctissimum hoc dogma fideliter amplexos esse, et propugnasse. Quod cum Orthodoxias assertores inuictis argumentis demonstrarint; de iis tantum, qui Seruatoris atque Apostolorum aeuo uiuebant, asseuerare ausim, nullo idoneo testimonio ostendi posse, eos ab hac fide alienos fuisse: Certe N. Testamenti Scriptores, cum passim testentur, Iudaeorum Coryphaeos noluisse Iesum Nazarenum pro Messia, Deique filio recipere, nusquam tamen indicant, ipsos uel Messiae Deitatem, uel ipsam in Deo personarum Trinitatem impugnasse. Contrarium potius haud obscure innuunt: Indagine saltem digna sunt, quae leguntur Matth. XXVI. 63. Vbi, cum Pontifex Christum alloqueretur: Ἐξομολογήσω σε κατὰ τὴν θεῶν, τὴν ζώντος, ἵνα ἡμῖν εἴπῃς. εἰ σὺ εἶ ὁ χριστός, ὁ υἱὸς τῆς θεῶν, τῆς ζώντος; Et Christus responderet: Σὺ εἶπας. Πλὴν λέγω ὑμῖν, ἀπὸ ἀβραάμ ὄψεσθε τὸν υἱὸν τῆς ἀνθρώπου καθήμενον ἐν δεξιᾷ τῆς δυναμείας, καὶ ἐρχόμενον ἐπὶ τῶν νεφελῶν τῆς βραβύ u. 64. Eo ipso procul dubio respiciens illud Dan. VII. 13. Omnes regerebant: Σὺ ἂν εἶ ὁ υἱὸς τῆς θεῶν; Tunc itaque es ille filius Dei? ut testis est Lucas c. XXII. 70. Quae eo ualebant, non ut uel Trinitatem ipsam, uel Messiae Deitatem negarent; sed ut Iesu tantum hoc axioma derogarent. Nos utique Antitrinitariorum quorumuis rationes non parum labefactabimus, si demonstraerimus, etiam eo tempore, quo Prophetiae cessabant, neque dum tamen Messias aduenerat, quod afflictissimum gentis Iudaicae aeuum erat, SS. Trinitatem agnitam et cultam fuisse. Cuius rei documenta dabunt authores Librorum Apocryphorum tantum non omnes, et quidem uicibus crebro repetitis. Faciunt id hi authores, non quidem ad modum librorum doctrinalium, in quibus omnia sigillatim et definitiue tractari solent; sed pro more scriptorum asceticorum, in quibus satis est, applicate, et in usu, seu actu exercito, doctrinas tradidisse; ita tamen manifeste id fit, ut negare nequeat, nisi cui uolupte est, contra solem loqui. Nobis id in peruoluendo textu authentico subinde

de animaduertere licuit, inde consulti interpretes, inuenti sunt
conspirare nobiscum. Denique cum his diebus in Petri Allix,
Theologi quondam Angli, Tractatum, quem *Afferta Veteris Ec-*
clesiae Iudaicae contra unitarios inscripsit, incidissem, et uiderem,
idem argumentum ibi c. II. X. tangi, collibuit hanc materiam
paulo accuratius examinare. Id quod his ipsis pagellis ita fa-
cere constituimus, ut Apocryphas, quae uocantur, sententias,
cum phrasi Spiritus S. cum Veteris, tum N. Testamenti diligen-
ter conferamus, et consensum ubique demonstremus. Quod
institutum Deus Trinunus fortunet!

THESIS I.

Simplicissimam essentiae diuinae unitatem Apo-
cryphi scriptores uno omnes ore profitentur.

§. I.

Quam indiuisibilem prorsus essentiae unitatem personarum
Trinitas praesupponit, alioquin mysterii nihil habitura:
Nam et in creaturis rationalibus multas personas numerare li-
cet, eas tamen in una existentes essentia nusquam reperimus.
In Deo autem etsi essentia ita una sit, ut ab omni multiplica-
tione sui abhorreat; ita tamen tres sunt personae, ut earum nulla
sit alia: Neque enim Pater est Filius, neque Filius Pater; Ne-
que Spiritus S. uel Pater uel Filius. Atque hanc in multitudi-
ne Personarum essentiae unitatem liquidissime asseuerant libri
Apocryphi. Hinc de Deo loquuntur plane *μονοτέρας*. Ut
cum Iudith IV. 12. dicitur, Hierosolymitani *ἐβόησαν πρὸς τὸν Θεὸν*
Ἰσραήλ. Vbi et u. 14. idem Deus *ἐξαρέτως* appellatur *ὁ κύριος*. Et
c. V. 13. hic Deus ante Israelitas dicitur exsiccasse mare rubrum.
Item cum apposito, *ὁ Θεὸς τῆ ἑρανῆ* Iudith. V. 8. quia inter Israe-
litas peculiariter et manifestabatur, et agnoscebatur et coleba-
tur. Haec unitas, uti est singularissima, ita Deum quibuscun-
que diis nuncupatis contradistinguit. *εἴπερ γὰρ εἰσὶ λεγό-
μενοι Θεοί, ἢτε ἐν ἕρανῶ, ἢτε ἐπὶ τῆς γῆς (ὡσπερ εἰσὶ Θεοὶ πολλοὶ)*
ἀλλ' ἡμῖν εἰς Θεός, asserente Paulo I. Cor. II. X. 5. 6.

§. II. Vnde sua sponte conlequitur, trium Personarum, ut
essentiae unitatem, ita pariter uirtutis et operum essentialium
simplicissimam identitatem ab ipsis agnosci. Iuuat tamen

ipforum testimonia audire. Ita 2. Macc. VII. 28. afferitur de omnibus, quae uel in coelis, uel in terra existunt, *ὅτι ἐξ ἑκ ὄντων ἐπαίησεν αὐτὰ ὁ Θεός.* Pari prorsus ratione Paulus de Deo ait, ipsum *κεκλημένα τὰ μὴ ὄντα, ὡς ὄντα,* Rom. I V. 17. idque Ebr. XI. 3. ita interpretatur, *ῥήματι τῆ Θεῶ ἐκ μὴ Φαρμομένων τὰ βλεπόμενα γεγονέναι.* Pariter uni isti Deo conseruatio atque gubernatio huius uniuerſi uin dicatur Sap. VI. 3. seqq. Quo ipſo unitas quoque cultus diuini conficitur, qui par omnino idemque erga omnes tres personas exercendus est; Vnde et ad unum Deum et Dominum dirigi legitur. Sap. IX. 1. *Σαρ. XIII. 1. Θεοῦ δειξέσθαι*

THESIS II.

Neque minus penes ipsos indefinitae cuiusdam pluralitatis, in simplicissima Dei essentia, reperiuntur uestigia.

§. I

MEMoratu sane digna sunt uerba, quibus Tobias iunior in precibus suis matrimonialibus, et consecratoriis utitur: *Σὺ εἶπας, ἔ καλὸν, εἶναι τὸν ἀνδρα ἄνθρωπον μόνον, ποιήσωμεν αὐτῷ βοηθόν, ὅμοιον αὐτῷ.* Tob. IIX. 6. Quae uerba licet in B. Lutheri uersione, nescio, quo casu, non legantur, agnoscit tamen Vatablus, atque sic transtulit: *Tuum est dictum, non expedit homini, uiuere solitario, condemus ei adiumentum, ipsi simile.* Neque obstat, in originaria huius dicti fede, quae est Gen. II. 18. non haberi pluralem; sed in singulari legi: *וְעָזַר לוֹ הָאֱלֹהִים* faciam ipsi adiutorium; Consentiant tamen LXX, qui haec in Genesi uerba ita reddunt: *Ποιήσωμεν αὐτῷ βοηθόν κατ' αὐτόν.* Quo ipſo Ebraicae ueritati nihil derogant, sed eius sensum explicant. Probabile enim uidetur, eosdem mutatos hunc pluralem ex Gen. I. 26. Vbi, cum dicatur *אֱרֵם הָאֱלֹהִים*, faciamus hominem, copia datur, et ibi, ubi de coniugii institutione agitur, ad multitudinem aliquam personarum recurrendi; cum idem omnino et humani generis, et coniugii autor sit agnoscendus. Licet uero ex his concludere, eo tempore, quo et LXX. et Apocryphorum Scriptores uixerunt, usitatam fuisse formulam hanc, nouellis coniugibus benedicendi, mentione facta cuiusdam in Deo pluralitatis.

§. II.

§. II. Proinde hac loquendi forma Tobias nihil quicquam a perpetua Ecclesiae consensione recedit: Siquidem et in V. et in Nouo Testamento phrasae huiusmodi, quibus Deus de se pluraliter loquitur, occurrunt. Gen. I. 26. Deus ait: Faciamus hominem ad imaginem nostram, secundum similitudinem nostram. Vbi tribus uicibus pluralitas inducitur. Similia leguntur Gen. III. 22. Adam factus est sicut unus ex nobis $\Gamma\Omega\text{Ν}\text{Κ}$ $\Gamma\Omega\text{Ν}\text{Κ}$. Quare Deus sicut se in plurali ante lapsum Adamo manueftauerat, ita et post lapsum eandem notitiam conseruare uoluit. Seruauit eundem loquendi morem Spiritus S. cum in reliquis V. T. libris, in quibus nomina pluralia subinde tribui legas Deo; tum in Nouo Testamento idem identidem obseruare licet ut Joh. III. 11. $\acute{\omicron}$ $\acute{\omicron}$ δαμεν, λαλῶμεν, καὶ ὁ ἐωράκαμεν, μαρτυροῦμεν, καὶ τὴν μαρτυρίαν ἡμῶν ἔλαμβάνετε, Marc. IV. 30. Τίνι ὁμοιώσωμεν τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ; Joh: X. 30. Εγὼ καὶ ὁ πατήρ ἐν ἑσμέν. XIV. 23. πρὸς αὐτὸν ἐλευσομεθα, καὶ μονὴν παρ' αὐτῶ ποιήσομεν. Quae loquendi formae, a genio linguarum Ebraicae atque Graecae alioqui plane abhorrentes, cur adhibeantur, alia idonea ratio dari non potest, quam haec, quod Spiritus S. per illas pluralitatem quandam in simplicissima essentia diuina insinuare uoluerit.

THESIS III.

Definitae tamen multitudinis, seu Trinitatis cuiusdam, in simplicissima essentia diuina, crebriora in Apocryphis sunt uestigia.

§. I.

VT enim appellatio personarum, seu ὑποστάσεων, in his libris non legatur; Cum nec in illa loquendi formula, quod tres sint personae in una diuina essentia, fides Catholica consistat; Sed in eo, ut sincere credamus, Patrem, Filium et Spiritum Sanctum unum esse Deum, idque ita, ut Pater non sit Filius, sed alius a Filio, nec Spiritus S. sit Pater uel Filius, sed alius a Patre et Filio, ut diserte ex Symb. Athanasiano ostendit B. Calou. Theol. posit. p. 76. Tamen reuera Trinitas ipsa, qualis creditu ad salutem necessaria est, frequenter in his libris occurrit. Exemplo esto Sap. XVI. 14. $\Sigma\omicron$ $\kappa\acute{\upsilon}\rho\iota\varsigma$ $\acute{\epsilon}\nu\theta\omicron\zeta\epsilon$ ν . 13.) $\delta\epsilon$ $\lambda\epsilon\upsilon\sigma\acute{\alpha}$ $\lambda\omega$ $\pi\acute{\alpha}\sigma\alpha$ η $\kappa\lambda\acute{\iota}\sigma\iota\varsigma$ $\sigma\epsilon$, $\delta\tau\iota$ $\acute{\epsilon}\nu$ $\pi\alpha\tau\epsilon\rho\varsigma$, $\kappa\alpha\iota$ $\acute{\epsilon}\gamma\omega$ $\nu\eta\theta\eta\sigma\alpha\upsilon$.

νήθησαν. ἀπέσειλας τὸ πνευμά σου, καὶ ἀκοδόμησε. Hic deprehendimus Dominum, cuius est omnis creatura, eaque propter obstricta ad eius ministerium. Hic Verbum inuenimus, per quod omnia facta sunt, concinente Iohanne I. 3. Hic denique Spiritum, a patre seu Domino missum, omnium architectum. Quid uero manifestius est, quam, haec desumpta esse ex Gen. I. 1. 2. 3. In principio creauit Deus coelum et terram. Terra autem erat inanis et uacua; et tenebrae erant super faciem abyssi. Et Spiritus Domini ferebatur super aquas. Et dixit Deus: Fiat lux. Vbi eadem nomina, mutato tantum ordine, inuenimus. Alio etiam, quam locus noster, ordine haec effert Pf. XXXIII. 6. Verbo Domini coeli firmati sunt, et Spiritu oris eius omnis exercitus eorum. Similis locus occurrit Sap. IX. 17. *Βουλὴν σου (κύριε u. 13.) τίς ἔγνω, εἰ μὴ σὺ ἔδωκας σοφίαν (ὑποσατικὴν scilicet, quae nouit opera Dei, et aderat, cum Deus mundum conderet u. 9.) καὶ ἐπέμφσας τὸ ἅγιόν σου πνεῦμα ἀπὸ ὑψίστων;* Conf. etiam Sir. I. 5. et 8. Sap. I. 7.

§. II. Vbi obiter notare licet diuersitatem quandam loquendi: Nam *κύριον* mitti non legimus, neque dari, obseruamus; quod tamen de *σοφία* et *πνεύματι* praedicatur. Id quod indicio est, hos libros agnoscere, quandam originem *σοφίας* καὶ *πνεύματος* ab hoc Domino; quae origo et fundamentum est discriminis cum inter personas ipsas realis, tum inter earum operationes diuersas. Eadem infert diuersitatem modi operandi etiam tum, cum tres personae ob identitatem essentialem idem opus uel ad extra, uel ad intra; uel externum, uel internum producant. Contra autem simplicissima essentiae identitas argumento est, tres personas idem opus producere. Sicut creatio tribuitur Patri et Filio, Sap. IX. 1. Vbi de Patre: *ὁ ποιήσας τὰ πάντα ἐν λόγῳ σου.* Quae et B. Ioh. Olear. Bibl. Germ. agnoscit, citans huc Ioh. I. 1. Pf. XXXIII. 6. Gen. I. 3. quae, consentientibus Orthodoxis, de Filio Dei agunt. Eadem creatio Spiritui Sancto uendicatur Sap. XVI. 14. *ἀπέσειλας τὸ πνεῦμά σου, καὶ ἀκοδόμησε.* Neque minus cultus aequalitas ex essentiae identitate fluit, et manifeste agnita fuit ab Apocryphorum autoribus. Nam et Patrem summo adorationis cultu prosequitur Siracides c. LI. 10. Et Sap. VII. 22. cum *σοφία* praedicatur *πάντων τεχνίτις,*

τεχνίτις, et u. 23. παντοδύναμος καὶ πανεπισκοπος, quae sane Dei folius attributa sunt; et Sap. I. 5. cum de Spiritu S. asseueratur: ἅγιον πνεῦμα παδείας φεύξεται δόλον, καὶ ἀπανασήσεται ἀπὸ λόγισμῶν ἀσυνέτων; quid aliud innuitur, quam, et Sapientiae huic, et Spiritui S. internam fidei atque cordis reuerentiam, id est, cultum religiosum, folique Deo debitum, exhibendum? Sed haec omnia melius patescunt, si iam sigillatim, quae de his personis Apocrypha habent, adducemus.

THESIS IV.

De Deo Patre peculiare, et ad eum a caeteris Personis discernendum facientes, appellationes tradunt Apocrypha.

§. I.

Inuenimus hic plurima Dei nomina, quae tamen omnibus Deitatis personis sunt communia, ac proinde a nobis opere non quaerenda hoc loco; qualia sunt Θεός, κύριος, παντοκράτωρ, aliaque complura, passim obuia. Praecipue autem illud, quod primae Personae suo modo proprium, Πατέρος nomen. Idque duplici in his libris significato obseruatur; primo quidem, quo essentiam respicit, et, in ordine ad creaturas intelligendum, omnibus tribus Personis assignandum. Velut cum Siracides XXIII. 4. uocat κύριον πατέρα, καὶ Θεὸν ζωῆς αὐτῆ, Vel cum Sap. II. 16. dicitur ὁ δίκαιος ἀλαζονεύσθαι, πατέρα Θεὸν, iactitare, Deum esse patrem suum. Quibus, et similibus locis manifestum est, patris appellationem non referri sigillatim ad primam Deitatis personam; Cum in his dictis pater non reliquis in diuina essentia personis, sed creaturis opponatur relatiue. Sed in uestigandum praecipue est, an et in oppositione ad filium et Spiritum S. in his libris inueniatur. Vbi quidem de dubio securus nos reddit Sir. LI. 10. cum ait: Ἐπεκαλεσάμην κύριον, πατέρα κυρίου μου. Quis enim ibi est κύριος πατῆρ, nisi prima persona? Quis ὁ κύριος τῆ Σεραχ? Nisi is, qui patrem habet Deum adeoque secunda Deitatis Persona? Qua loquendi ratione uidemus et Paulum profus consentire, cum inducit Θεὸν πατέρα καὶ τῆ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ χριστοῦ. 2. Cor. XI. 32. Eph. I. 3. Quae quidem
B
suffici-

sufficiunt, ad designandam primam personam, eandemque nomine certo a reliquis discernendam.

§. II. Quia uero et in Symbolo Apostolico Pater sigillatim, ut Creator et Conseruator huius uniuersi, describitur, ut hoc primo, quo Deus creaturis innotuit, opere prima persona, tanquam characteristico nomine, insigniretur; Et huius rei quaedam uestigia in Libris, quos diximus, deprehendimus. Ecce enim Sap. IX. i. dicitur *ὁ ποιήσας τὰ πάντα ἐν λόγῳ*, nisi ut indigetur, faciendi omnia munus singulari modo Patri uindicari? Quin et Iudith. XVI. 14. *πᾶσα κτίσις* dicitur *Θεῷ*, eidemque inseruire, quatenus ille *λόγῳ* et *πνεύματι* contradistinguitur; Non in sensu exclusiuo, quasi ab hac denominatione seiungendi sint Filius et Spiritus Sanctus; Sed peculiari quadam appropriatione. Quorsum et forsā non abs re reduxeris illa, quibus absolute *κύριος* Sir. LI. 10. *Κύριος παντοκράτωρ* Iudith. XVI. 6. *σωτήρ κατ'ερατο ποιός* 2. Maccabb. VI. 27. appellatur, et similia, quae, licet Patrem filio atque Spiritui Sancto non opponant; quia tamen Deum insigniunt iis notis, quibus in Symbolo describitur Pater, uidentur suo modo Patri appropriari posse, isque sic, uelut *διακριτικῶς*, denominari.

THESIS V.

Sed proprietates Patris characteristicae ad intra, in his libris ita perspicue traditur, ut sedulo inuestigantes haud difficulter inueniant.

§. I.

Ita est ista, quam dixi, Patris characteristica nota partim in eo, quod ipse est omnis omnino ortus expers; partim in eo, quod et Filio et Spiritui S. largitur ortum. Atque esse quidem Patrem ita primam Deitatis Personam, ut ipse absque omni sit origine, *διαφρήδην* quidem hi Libri non tradunt, tradunt tamen ita perspicue *κατὰ τὴν διάνοιαν*, ut, nisi qui uoluptatem in contradicendo quaerat, negare non audeat. Fit autem toties, quoties uel diserte uocatur pater Domini nostri, ut Sir. L. 10. uel mittere filium aut Spiritum S. praedicatur: Nam id uel ipsa huius relationis indoles infert, ut, qui alteri originem largitur, uel eundem mittit ab hoc oriri mittique nequeat. Quatenus autem

tem Patris character hypostaticus in eo collocatur, quatenus et
filium gignit, et Spiritum S. producit; eatenus utique non pau-
lo expressius hic reperitur. Nam de generatione Filii Sir. I. 9.
legimus; *Αὐτός, κύριος, ἐκτίσθη αὐτήν.* Vbi ne creationis vox
nos offendat, obseruandum u. 4. dici: *προτέρα πάντων ἐκί-
σθη σοφία*: Antequam quicquam esset, producta est sapientia.
Quae phrasis, aeternitatem huic sapientiae uindicans, common-
strat, creationis uocem in sensu generalissimo accipiendam,
quatenus quamcunque productionem, etiam, quae absque ex-
istendi initio fit, denotat. Qua in re consentiunt et LXX.
Prou. IX. 22. *Κύριος ἐκτίσθη με ἀρχὴν ὁδῶν αὐτῆς.* Vbi Ebraeum *הוֹרָה*,
quod et h. l. et Gen. I V. 1. de generatione extat, hoc uerbo
expressum deprehendimus. Neque obscurum est, eo ipso *πρω-
τότοκον πάσης κτίσεως* sic exprimi, de quo Col. I. 15. Quorsum et-
iam facit, quod *πάρεδρος τῶν θρόνων τῶ πατρὸς* dicitur *σοφία*,
Sap. IX. 4. Id quod ipse Seruator ait, se *δόξαν παρὰ τῶ πατρὶ* ha-
buisse *πρὸ τῶ τὸν κόσμον εἶναι*. Ioh. XVII. 5. De eo autem, quod
Pater ab aeterno Spiritum Sanctum producit, etsi totidem li-
teris non legimus, legimus tamen argumenta, omnino conuin-
cendi uim habentia, dum et *πέμψεν*, et *ἀποπέμψεν τὸ πνεῦμα* af-
feritur. De quo, cum paulo post agendum nobis sit, hic anti-
cipare nolumus.

§. II. Consequens huius est, ut Patrem statuamus et Filium
et Spiritum S. in tempore mittere: Nam, quae Personae ab aliis
mittuntur, eas ab iisdem quoque originem habere, recte con-
cludunt Theologi, et LXX. neruose expresserunt Messiae Ver-
ba apud Ec. XLII. 16. ita reddentes: *καὶ νῦν κύριος ἀπέστειλέ με,
καὶ τὸ πνεῦμα αὐτῆς.* Vtramque missionem disertis uerbis com-
probant Libri Apocryphi: Equidem non memini, me in his
libris legere, expressam mentionem missionis Filii in carnem;
ea tamen, quae fit ad inhabitandos fideles, non semel ibi ex-
pressa legitur. Ita enim autor libri Sapientiae c. IX. 4. orat. *Δός
μοι τὴν σὴν σοφίαν, τῶν σῶν θρόνων πάρεδρον*, et u. 10. *ἐξαπέσει-
λον αὐτήν ἐξ ἁγίων ἑβραίων*; et u. 17. *βελὴν δὲ σε τίς ἐγνώ, εἰ μὴ σὺ
ἰδῶκας σοφίαν*; Atque Siracides c. I. 10. praedicat eo nomine
Patrem, quod *ἐχορήγησε τὴν σοφίαν τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτόν*. Qui-
bus omnino concordant uerba Seruatoris Ioh. XIV. 13. *Εἰ τις*

ἀγαπᾷ με τὸν λόγον με τηρήσει. Καὶ ὁ πατήρ με ἀγαπήσει αὐ-
 τόν, καὶ πρὸς αὐτὸν ἐλευσομεθα, καὶ μονὴν παρ' αὐτοῦ ποιήσομεν.
 Animaduertit hoc Ioach. Camerar. qui Annot. in Sir. I. 10. ita
 scribit: *Sapientia Dei ipse Deus est: Sicut alia, quae de Deo dicuntur,*
uere et ἁσιωδῶς dicuntur. Hic est igitur Filius Dei, natura Deus,
per quem facta sunt omnia, et in quo statuit reconciliare sibi uniuersa
aeternus Deus. De missione autem Spiritus S. haec satis plane
 testari possunt, cum Sap. IX. 17. de Deo dicitur: ἔπεμφθης τὸ
 ἅγιόν σου πνεῦμα ἀπὸ ὑψίστων. Itemque Iudith. XVI. 14. ἀπέστει-
 λας τὸ ἅγιόν σου πνεῦμα, καὶ ἀκοδόμησε. Vbi et architectus ille
 Spiritus salucatur, quo missō, conseruantur omnia, cum in re-
 gno potentiae Ps. CIV. 30. tum in regno gratiae Ps. LI. 12. 13. 14.

THESIS VI.

Character uero Dei Patris externus, creatio scili-
 cet et conseruatio huius uniuersi, in his libris
 multo frequentissime comparet.

§. I.

NEque enim incongruum erit, quod paulo ante attigimus,
 hic paulo plenius exponere, et ex monumentis, quibus
 coepimus, demonstrare. Quid ergo de creatione dici potest
 melius, quam ista, quae de coelo atque terra, omnibusque, quae
 in ipsis sunt, extant 2. Maccabb. VII. 28. Ἐξ ἑκ ὄντων ἐποίησεν αὐ-
 τὰ ὁ Θεός, καὶ τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος ἕτως γεγένηται. Siftitur hic
 certe autor huius uniuersi, Deus, et terminus a quo, seu ma-
 teria quasi ex qua, ἑκ ὄντων nomine, et ipsa creationis forma in-
 finita atque omnipotentis uirtutis ποιησις nuncupatur. Quo
 sensu Apostolus quoque ait, Θεὸν καλεῖν τὰ μὴ ὄντα, ὡς ὄντα Rom.
 II. 17. Vocare ea, quae non sunt, adeoque prorsus omni ex-
 istentia carent, quasi existant; imo, ut et essentiam et actuaalem
 existentiam nanciscantur. Ad quae B. Wellerus: *Vna hac phra-
 si indicatur et omnipotens Dei ἐνσπρυετα ad cuius quasi nutum sese prom-
 te sistunt, quae nihil fuerunt, et cui facillimum est, e tenebris lucem pro-
 ducere: cuius exempla Moses in describenda creatione suppeditat euiden-
 tissima Gen. I. 3. 11. 20. 21. produxit scilicet Deus ἐκ τῶν μὴ ὄντων crea-
 turas 2. Cor. IV. 6. Et rerum etiam copia (innuitur) Ezech. XXXVI. 29.
 Et uocabit Deus frumentum, b. e. maximam frumenti copiam dabit. Es.*

XLIX.

XLIX. 13. Vocat ea, quae non sunt, ut sunt, hoc est, tanta eius est potentia, ut promptissime statim adsint ea, quae non sunt, et in magna copia adsint. Exasse etiam concinit illud: κατηγείσθαι τὰς αἰῶνας, ῥήματι Θεῶν, εἰς τὸ μὴ ἐκ Φαγομένων τὰ βλεπόμενα γεγονέναι. Ebr. XI. 3. Eleganter sibi inuicem respondent: ἐκ ὄντα, μὴ ὄντα, et μὴ Φαινόμενα; eaque uniuersa τοῖς βλεπομένοις opponuntur.

§. II. Vti autem creatio, ita et conseruatio, et gubernatio uniuersorum his in libris graphice depingitur. Scitum omnino est illud Siracidis XXIII. 4. Κύρις, πάτερ, καὶ Θεὸς ζωῆς μὲς μετῴρα μόνον ὀφθαλμῶν μὴ δῶς μοι. Quo ipso et creatio, uocabulo Patris, et conseruatio, nomine Dei uitae, et gubernatio, reliquis uerbis, exprimitur; significaturque, quod haec opera Patri, tanquam primae personae, suo modo approprientur. Quae omnia, ordine licet aliquantulum mutato, expressit Paulus Act. XVII. 27. ἐν αὐτῷ καὶ ζῶμεν, καὶ κινῶμεθα καὶ ἐσμέν. Quorum hoc conseruationem, istud, κινῶμεθα, gubernationem, illud denique, ζῶμεν, concursus denotat. Gubernationem sigillatim depingit Sap. XIV. caput cuius u. 3. notatu digna sunt uerba. Ἡ σὴ, πάτερ, πρόνοια διακύβερτᾷ, ὅτι ἔδωκας καὶ ἐν θαλάσῃ ὁδὸν, καὶ ἐν κύμασι τρίβον ἀσφαλῆ. De nauigiis sermo est, quibus mortalium nemo uitam fortunasque suas committere auderet, nisi diuina prouidentia regerentur, ut spes esset, ex procellis et fluctibus esse euasura. Peculiarem quoque eam, quae Ecclesiae est, conseruationem Patri assignat Siracides, dum ait: Ἐπεκαλεσάμην κύριον, πατέρα κυρίου μὲς, μὴ μὲ ἐγκαταλεπέω ἐν ἡμέραις θλίψεως. Sir. LI. 10. Atque haec omnia ad oculum ostendunt, et personam esse Patrem, et eundem a Filio atque Spiritu Sancto esse distinctum atque diuersum.

THESIS VII.

Secunda Deitatis Persona peculiaribus nominibus, iisque discretiuis, hic legitur, insignita.

§. I.

Possemus haec nomina in essentialia et personalia distinguere; si nostri instituti esset, prolixitatem tectari. Ex essentialibus prodeat unum, κύρις, quod uel ea propter pro essentiali iis temporibus habitum, existimamus, quia eodem LXX.

B 3

inter.

interpretes communiter essentiale Dei nomen יהוה expresserunt. Appellatur autem Filius Dei κύριος ὁ Θεός Iudith. IX. 2. Quo loco Iudith ipsum orat, ut, quae ipsa moliat, ipse fortunet. Praecipue memorabilia sunt, quae u. 5. leguntur: *Σὺ ἐποίησας τὰ πρότερα ἐκείνων.* Is autem, qui antiquitus populo suo adstiterat, est angelus Dei, seu Dei filius: Quod ex Exod. XIV. 19. 24. collat. cum Exod. XV. 3. multo evidentissime patet: Nam, qui prioribus locis angelus Domini appellatur, is posteriori loco expresse dicitur Iehoua. Iehoua autem, qui angelus dicitur, est Dei Filius, quod ex plurimis V. T. locis demonstrari poterit. Sufficiat digitum intendisse in Mal. III. 1. Et LXIII. 9. Indecoligendi datur occasio: Qui τὰ πρότερα fecit, et patres ex aduersis liberauit est κύριος ὁ Θεός. Iam uero angelus Dei, seu Dei filius, fecit τὰ πρότερα. Itaque ex Iudithae confessione, hic Dei filius est Θεός καὶ κύριος. Paris ponderis est, cum Sir. LI. 10. Filius Dei dicitur κύριος τῷ Σεραχ, qui κύριον habeat patrem. Nam si pater et filius eodem nomine gaudent, eadem quoque essentia infertur, eadem potentia atque maiestas.

§. II. Frequentissima autem in Apocryphis sunt nomina personalia, quorum aliquot commemorare possemus, si iisdem percensendis immorari destinatum esset. Occurrit enim (1.) λόγος, cum Sap. IX. 1. dicitur Deus ποιήσας τὰ πάντα ἐν λόγῳ. Quod idem et Psalm. XXXIII. 6. et Ioh. I. 1. 3. asseritur, λόγῳ seu uerbo condita esse uniuersa. Item, cum Sap. XIII. 15. inducitur παντοδύναμος ὁ λόγος τῷ κυρίῳ, tum ex epitheto satis liquet, de persona sermonem esse, quae sit omnipotens Deus. Conf. Sap. XVII. 1. Vbi Deus appellatur κύριος, cuius sit λόγος manifesta contradistinctione inter utrumque, ut ἄλλον καὶ ἄλλον agnoscamus, quod et Seruator optimus uult Ioh. XIV. 16. et ab Athanasio factum uidemus, Symbolo eius u. 4. 5. Idem occurrit Sap. XVI. 12. ὁ σὸς, κύριε, λόγος, ὁ πάντα ἰάμενος; quocum conferri meretur u. 11. ubi, distinctionis ergo, λογίων τῷ Θεῷ fit mentio. Scilicet λόγια sunt λόγος προφητικός; λόγος autem, πάντα ἰάμενος, λόγος ὑποστατικός, qui semetipsum medicum uocat Exod. XV. 40. et talem re ipsa probat, eos, qui a serpentibus morfi erant, sanando. Num. XX. 6. Ioh. III. 14. (2.) Occurrit σοφία Sap. IX. 2. τῇ σοφίᾳ σε κατεσκεύασας ἀνθρώπον, ubi perinde, atque Prou. IX. 21.

IX. 22. creationis opus increatae huic atque substantiali sapientiae tribuitur. Et quidem, quod non negligendum, creatio hominis, qui ad imaginem Dei conditus. Similiter enim atque Filius est *εικὼν τῆς Θεῆς, τῆς ἀοράτου*. Col. I. 15. Ita Deus *ἀνδρωπον εἰκόνα τῆς ἰδίας ιδιότητος ἐποίησεν* Sap. II. 23. Hac sapientia, cui conformari etiam per renouationem oportet hominem, conditus est initio. Item u. 4. oratio legitur haec: *δός μοι τὴν τῶν σῶν Θεῶν πάρεδρον σοφίαν*, quae et ipsa personam, paris cum Patre maiestatis atque potestatis, significat. (3.) Occurrit memorabile nomen *ἀπόρροιας*, de quo paulo post plura. Hoc loco id tantum obseruamus, legi illud Sap. VII. 25. his uerbis: *Αἰμίς γὰρ ἐστὶ τῆς τῆς Θεῆς δυνάμεως, καὶ ἀπόρροια τῆς τῆς παντοκράτορος δόξης*. A quo certe non admodum abhorret descriptio Paulina, qua Filius Dei *ἀπαύγασμα τῆς δόξης, καὶ χαρακτῆρ τῆς ὑποστάσεως αὐτῆς*, nuncupatur. Ebr. I. 3. Inconuenientius tamen esse, et aliquid incommodi prae se ferre, uocabulum *ἀπόρροιας*, mox apparebit. (4.) Occurrit *υἱὸς τῆς ὑψίστης* Sir. IV. 11. *ἔση ὡς υἱὸς ὑψίστης*, non *υἱὸς ὑψίστης*: Nam alioqui regeniti etiam sunt Dei filii Gal. III. 26. Ioh. I. 12. Sed *ὡς υἱὸς*, et quidem singulariter tantum dictus, qui est aeternus atque essentialis Dei filius, cui similes euadimus per gratiam, qua *προώρισεν ἡμᾶς ὁ Θεὸς συμμόρφους τῆς εἰκόνης τῆς υἱῆς αὐτῆς*. Rom. IX. 29. (5.) Occurrit nomen Ebraeum *Asaria* Tob. V. 12. ubi angelus, comes Tobiasiae iunioris: *Ἐγὼ Ἀζαρίας, Ἀνανίης τῆς μεγάλης*. Asaria auxilium Dei, uel auxiliatorem Deum significat, isque est magni Ananiae, seu Dei responsatoris, qui respondet, antequam clamemus Et. LXV. 24. Filius. Ita enim B. Lutherus Praef. in Librum Tobiasiae intelligit, qui uideatur.

THESIS IX.

Hunc uero, quem descripsimus, *λόγον*, uerum atque essentialem Deum esse, agnoscunt hi libri non uno indicio.

§. I.

Recurri hic solet ad nomina et res; Et nomina quidem, quae rem ipsam supponunt, producere possemus uaria, nisi hoc labore nobis circa Thesin praecedentem maxima ex parte defun-

defuncti esse uideremur. Aggrediemur itaque rem ipsam, quae partim attributa, partim opera diuina, partim cultum, soli Deo proprium complectitur. Et ut ab attributis incipiamus, tribuitur huic λόγῳ modo aeternitas, ut Sir. XXIV. 1. 4. 18. Πρὸ τῆς αἰῶνος, ἀπ' ἀρχῆς ἐκτίσθη με, καὶ ἕως αἰῶνος ἢ μὴ ἐκλίπω. Ad quae B. Olearius: Erschaffen zieleet nicht auf das Schaffen der unerschaffenen Weißheit, sondern auf das unueränderliche seyn und bestehen, denn sonst wäre es wieder die Wahrheit. Quomodo et LXX. loquuntur, κύριος ἐκτίσθη με ἀρχὴν ὁδῶν αὐτῶν, ut supra iam obseruatum est ex Prou. IIX. 22. Modo omniscientia ipsi uendicatur, ut Sap. IX. 9. Μετὰ σοφία, ἢ εἰδῶν τὰ ἔργα σου, quod sane asseri ita simpliciter non posset, nisi haec sapientia Dei arcanorum omnium esset conficia. Quae omniscientia et Matth. XI. 27. Ioh. I. 18. filio attribuitur. Modo omnipotentia, quocirca Sap. XIII. 15. exstat, ὁ παντοδύναμος σου λόγος, descendit et nocte concubia percussit Aegyptios. Reliquis attributis huc citandis lubentes superfedemus, cum pauca sufficiant, ad demonstrandum, quod uolumus.

§. II. Opera uero, quae Deitatem huius λόγῳ asserunt, uaria adducuntur, eaque cum potentiae, tum gratiae, tum iustitiae. Potentiae opera sunt creatio uniuersorum, quae ita sapientiae aeternae uendicatur, ut ipsa dicatur ἡ πάντων τεχνίτις Sap. VII. 22. Ioh. I. 3. V. 17. Est et resuscitatio mortuorum opus, quod uim atque potentiam infinitam requirit, quodque λόγῳ tribuitur: Nam Sir. XLIX. 5. de Elia: ὁ ἐγείρας νεκρὸν ἐκ θανάτου καὶ ἐξ ἁδῆς ἐν λόγῳ ὑψίστου. Gratiae opera, quae eadem uerae Deitatis eiusdemque solius sunt, plura etiam hic inuenias. De redemptione loquitur Sap. XIX. 9. Αἰνῶντες σε, κύριον, τὸν ρυόμενον αὐτῶν. Quae quidem de liberatione ex seruitute Aegyptiaca loquuntur; Sed eam tamen factam esse per angelum increatum, supra ostensum est; et eandem typum fuisse liberationis nostrae ex faucibus peccatorum et inferni, testis est Apostolus I. Cor. X. 4. Nam sicut illa per Dei Filium fiebat, ita haec quoque ab eodem potentissimo Deo fieri debebat. Ad quae gratiae opera et hoc pertinet, quod ipsa dicit: ὁ κτίσας με κατεπαύσε τὴν σκηνὴν μου καὶ ἔπεν. Ἐν Ἰακώβ κατασκηνώσων, καὶ ἐν Ἰσραὴλ κατακληρονομήσῃτι Sir. XXIV. 8. Nam et typice olim haec inhabitatio facta est, et quotidie fit antitypice. Iustitiae opus, quod huic

huic λόγῳ tribuitur, est, quod legitur, igne coelitus deuocato, et precibus impetrata siccitate, Elias poenas ab impiis sumfisse: *Εν λόγῳ κυρία ανέχεν ἕρανόν, κατήγαγεν ἕτως τρεῖς πῦρ.* Sir. XLIIIX. 3.

§. III. Cultum denique diuinum quod attinet, cum quoque huic Sapientiae competere, idque autores Librorum Apocryphorum agnouisse, fatis testatur Sir. LI. 10. qui λόγον appellat κύριον αὐτῆ, Dominum suum, eo ipso diuinum honorem, et religiosum cultum ipsi deferens. Cum quo omnino facit Sapientiae Scriptor c. XIX. 9. *Ἀνύστες σε κύριον*, qui omnipotenti manu liberaueris. At cum liberatio illa in Filio rectissime intellecta sit, facta esse, etiam ex eo consequitur, quod λόγος pro uero atque essentiali Deo fuerit agnitus, atque cultus.

THESIS IX.

Ita porro hic λόγος peculiari caractere signatur, ut nullo negotio cognoscatur, eundem esse personam a Patre diuersam.

§. I.

Cum uulgo dicatur: Actiones et passiones esse personarum; hinc iudicium petemus, λόγον nostrum esse Personam diuinam, quia dicitur, modo, personae diuinæ conuenienti, et pati et agere. Pati, respectu primæ personæ, a qua et gignitur, et mittitur. Vbi ut de generatione Filii Dei passiuæ pauca afferamus, inuenimus eam diuersimode expressam: Ita Sap. VII. 25. appellatur *ἀπόρροια τῆς τῆ παντοκράτορος δόξης*: Vbi tamen monendum est, intelligi oportere effluentiam, quæ neque aeternitatem neget, neque materialitatem inferat: Nam alioqui recte negatum est a Dn. D. Wernsdorff. Colleg. Anti-Fan. Cap. VI. qu. I. filium appellari posse *ἀπόρροϊαν* patris. Videtur autem huius Libri autor hac loquendi ratione exprimere uoluisse admirandas illas *ἠὺν*, seu egressiones, *ἐξόδους*, ut LXX. reddiderunt, quas filio Dei aeternas assignat Mich. V. 2. Caeterum uti hoc pacto, quantum potest, etsi terminis a rebus naturalibus petitis, describitur aeterna filii generatio, seu essentiae diuinæ a Patre adeptio; ita eadem exprimitur u. 26. per *ἀπαύγασμα φωτὸς αἰδίου*, resplendentiam lucis aeternæ, similiter atque a Paulo per *ἀπαύγασμα τῆς δόξης τῆ θεῶ* describitur Ebr. I. 2. sicut enim splendor ex sole, ita filius a Patre oritur, *ὡς ἐκ φωτὸς, θεὸς ἀληθινὸς ἐκ θεῶ ἀληθινῶ* ut Symbolum Nicenum loquitur.

C

loquitur. Manet itaque haec phrasis Symbolica et parabolica, non propria: Rem tamen ipsam, si, imperfectione secreta, intelligamus, ita pingit, ut quodammodo intelligamus aeternam Filii a Patre originem, seu γεννησιν passiuam. Cui consequens est eiusdem missio in tempore, quam et ἀσάρκως factam esse, iam tum, cum Siracides scribebat, docebat ipse λόγος, inquiring: Εγὼ ἀπὸ σώματος ὄψις ἐξήλθον. Sir. XXIV. 3. Nequid iam eorum repetam, quae iam supra, de prima Persona cum ageremus, adducta sunt.

§. II. Quae uti ostendunt, λόγον esse personam, a Patre utique discretam, ita idem euincitur ex respectu actiuo, quo filius fertur in Spiritum Sanctum; idque duplici uicissim ratione, et quatenus illi essentiam largitur, et quatenus eundem ad homines dimittit. Prius, quod Filius Spiritui S. essentiam diuinam communicet, hodieque negat Ecclesia Graeca, eo solum argumento inducta, quia haec πνεύματος ἐκπόρευσις a Filio, κατὰ τὸ ῥητὸν nusquam extet; Sed licet neque in his, quos excutimus, Libris, huius processionis manifesta asserta inueniamus; res tamen ipsa ibi sic apprehenditur, ut attentum lectorem fugere nequeat: Ecce enim aliqui diceretur ἐν τῇ σοφίᾳ, πάντων τεχνίτιδι, esse πνεῦμα νοερὸν Sap. VII. 22. cur ibidem diceretur πνεῦμα σοφίας u. 7. Conf. Sir. XXXIX. 6. nisi discendum nobis esset, hunc Spiritum ab aeterna et substantiali Sapientia ortum habere. Sed idem, si consensum desideres ex libris Canonicis, abunde satis confirmabitur Rom. IIX. 9. Gal. IV. 6. Ef. XI. 4. Phil. I. 19. 1. Petr. I. 11. Ioh. XV. 26. XVI. 7. 13. 14. 15. XX. 22. 23. Act. II. 33. Filium autem in tempore ad homines mittere Spiritum S. ex iis, quae adducta sunt de Spiritu ueritatis, sapientiae et intellectus, quia ortum eius a filio indicant, haud operose arguere licet. Consentit autem Lucas XXIV. 49. Ioh. XVI. 7. XV. 26. Act. I. 8.

THESIS X.

Character Filii Dei externus, qui est hominum ἀπολύτρωσις, suis etiam uestigiis per haec scripta comparet.

§. I.

Rem ipsam si confirmatam uelimus, multa prostant oracula in Canonicis Scripturis; Ita Rom. III. 25. ἡ ἀπολύτρωσις, ἡ ἐν χειρὶ ἰησοῦ, inducitur. 1. Tim. II. 6. Christus ipse praedicatur, ὁ ὄντις ἐαυτὸν

ἐαυτὸν ἀντίλυτρον ὑπὲρ πάντων. Ebr. I. 3. describitur idem Seruator, tanquam δι' ἐαυτῆ καθαρισμὸν ποιησάμενος τῶν ἀμαρτιῶν ἡμῶν. Neque id in Nouo tantum Testamento fit, sed in Veteri quoque Testamento satis clare indicatur, Filium Dei fore Seruatorem nostrum: Nam ex Proteuangelio Gen. III. 15. illud nullo negotio confici potest, si attendatur, conculcatorem serpentini capitis futurum esse mulieris semen. At uero conculcatio ista ab homine, mulieris filio, fieri nequit, nisi idem sit Dei Filius. Vnde ex hoc officio arguimus, quod Iohannes difertis uerbis indicat, εἰς τὸ το Φανερωθῆναι τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, ἵνα λύσῃ τὰ ἔργα τοῦ διαβόλου. I. Ioh. III. 8. Caeterum huc citari insuper possent loca Gen. XLIX. 18. Ef. I. 27. Pf. XXV. 21. Iob. XIX. 25. Of. XIII. 14. Matth. XX. 28. I. 21.

§. II. Verum non id agimus, ut ex Scripturis Canonici articulum fidei confirmemus, sed ut ex Libris, qui testimonii Ecclesiastici uim tantum habent, ostendamus, quomodo hic articulus a piis uiris fuerit creditus. Agnouit itaque Sir. LI. 10. Filium Dei κύριον, seu Dominum suum. Eundem quoque Sapientiae Scriptor celebrat, tanquam ῥύστην δικαίης seu liberatorem iusti Lothi Sap. X. 6. idem u. 15. ait: αὐτὴ λαὸν ὄσιον, καὶ σπέρμα ἀμμεπτὸν ἐρύσατο ἐξ Ἰθνης θλιβόντων, de sapientia increata loquens; Intelligit autem liberationem populi ex Aegypto. Quam aequae, atque Lothi ereptionem, per Filium Dei factam fuisse, partim euicimus supra, partim ita euictus est facile, ut opus esse non putemus, hoc loco demonstrare. Vtraque habet et respectum ad redemptionis opus, tempore N. T. in assumta humanitate exantlandum. Neque aliorum putauerim tendere illud, quod Tob. III. 16. asseritur: Ραφαὴλ ἀπετάλη, ἰάσαοθαι τὴς δύο, Tobiam et Saram, quam ut innueretur, magnum illum animae Medicum fore Θεάνθρωπον. Matth. IX. 12. Et Sir. XLIX. 10. de duodecim Prophetarum ossibus memoratur; ἐλυτρώσαντο αὐτὴς, Israelitas, ἐν πίσει ἐλπίδος. Plane ad eum morem, quo Obad. u. 21. praecones uerbi dicuntur Saluatores, eo quod unicum mundi Saluatorem annuntiant; ita Sirades confitetur, Prophetas seruasse populum. Et Tobias senior, cum filio appreticaretur, ut Angelus Domini ipsum comitetur Tob. V. 16. potius cum Iacobo angelum liberatorem ex omni malo Gen. XLIX. 16. intellexit, quam cum Papistis filium uni angelo alligauit. Quae pleraque, ut sub umbra quadam latere uideantur, nouius tamen eam fuisse illorum temporum indolem, quam clarior nostri aevi lux satis illustrauit.

THESIS XL

Spiritum S. tertiam adorandae Triados Personam, peculiari nomine describunt Apocryphi, et a reliquis personis distinguunt.

§. I.

DVo hic occurrunt nomina, notatu apprime digna, Spiritus scilicet et sanctitatis. Et πνεῦμα quidem passim memoratur. Sufficiat prouocasse ad Sap. I. 7. ubi πνεῦμα κυρίου; et Iudith. XVI. 14. ubi πνεῦμα, ὁ ἀποστέλλει θεός, inducitur. Vtroque loco haud obscure inferitur ratio, cur πνεῦμα dicatur haec tertia SS. Trinitatis persona: Nimirum, quia per admirandam πνοήν a Deo patre oritur. Sicut enim Filius per aeternam generationem a Patre, ita Spiritus S. per mysticam spirationem oritur a Patre et Filio. Quam productionem non paulo clarius docuit Christus, πνεῦμα τῆς ἀληθείας appellans, ὁ παρὰ τῆς πατρὸς ἐκπορεύεται Ioh. XV. 26. Apocryphi autem, cum scripta solum Moysi et Prophetarum habuissent, quae sequi possent, haud dubie, in conspectu habuerunt illud Iob. XXXIII. 4. Πνεῦμα θεῖον τὸ ποιῆσάν με, πνοή δὲ παντοκράτορος, ἡ διδάσκησά με. Et illud Ps. CIV. 30. Ἐξαπώσελεύς τὸ πνεῦμά σου, καὶ κτιοθήσονται. Aliaque huiusmodi, ex quibus colligere est, ipsos agnouisse hanc appellationis causam atque fundamentum. Addi possēt, et urgeri illud quoque. τὸ ἀφ' αὐτοῦ πνεῦμά ἐστιν ἐν πᾶσι Sap. XII. 1. Scilicet, sicut Deus in prima hominis creatione אֵחָד הַמַּשְׁכָּח, spiraculum uitarum, nempe animam, insufflauit in nares Gen. II. 7. Vt hoc Symbolo doceret, uiuificum suum Spiritum rebus omnibus intime praesentem esse, iisdemque uitam atque uigorem indulgere; ita eundem Spiritum quoque indicauit moli incubasse, eandemque animasse, ex qua postmodum, eodem architecto, tot uiuentia essent proditura.

§. II. Sanctitatis autem nota, etsi omnibus Triados Personis sit communis, tamen abs re factum esse uix potest, quod hi Libri cum quadam emphasi illam Spiritui tribuunt. Sed et innuunt subinde, quod docere uelint, Spiritum sanctificationis opus sibi, uelut officii axioma, uendicare. Hinc ἅγιον πνεῦμα πατρίδος δόλον φέγγειν, asseritur Sap. I. 5. Non secus, atque Christus ipse, Ioh. XV. 26. XVI. 13. ipsi introductionem in omnem ueritatem tribuit, quae est ipsa sanctificatio. In eundem sensum Sir. XXXIX. 6. dicitur: Ἐάν κύριος, ὁ μέγας θελήσῃ, πνεύματι συνέσεως ἐμπληθήσεται. Et Sapi-

Sapientiae scriptor Cap. VII. 7. gloriatur, ἐδόθη μοι πνεῦμα σοφίας. Omnia ista loca, si probe inter se conferantur, deprehenduntur describere Spiritum, qui sit persona, et quidem diuina, cum sapientiam coelestem impertiat, intellectum suis donis adimpleat, et omnes hominis vires flectat ad obsequium et moderationem. Nequeo tamen mihi temperare, quin prolixiuscula uerba, quae l. c. u. 22. 23. inueniuntur, adscribam: Sunt enim prorsus egregia, atque ita Spiritum Dei delineant, ut in toto sanctificationis opere uix quicquam occurrat, quin hic expressum inueniatur. Ea autem sunt haec: Ἔστιν ἐν τῇ σοφίᾳ πνεῦμα νοερόν, ἅγιον, μονογενές, πολυμερές, λεπτόν, εὐνίητον, τρανόν, ἀμόλυτον, σαφές, ἀπήμαντον, Φιλάγαθον, ὄξύ, ἀκάλυτον, ἐνεργητικόν, Φιλάνθρωπον, βέβαιον, ἀσφαλές, ἀμέριμνον, παντοδύναμον, πανεπίσκοπον, καὶ διὰ πάντων χωρῶν πνευμάτων νοερῶν, καθαρῶν, λεπτοτάτων. Sed nostrum est, ad alia festinare. *Add. Sap. IX. 17.*

THESIS XII.

Vnde etsi de Spiritu S. Deitate constet, libet tamen de eadem sigillatim ex Apocryphis uidere.

§. I.

SVperfedere possemus hoc labore, ne tamen in ea, quam nobis praefiximus, breuitate quicquam praetermississe, arguamur, etiam probandae huius Deitatis idonea fundamenta asseremus. Faciunt hoc eum nomina, tum attributa, atque opera, et cultus denique. Haec enim sunt, ad quae fere Theologi pro adstruenda Deitate prouocare solent. Ad nomen itaque referimus, cum dicitur πνεῦμα θεῶ Sap. I. 7. item, πνεῦμα, ὁ ἀποστέλλει ὁ θεός Iudith XVI. 14. Etsi enim et creati Spiritus suo modo possint dici Dei Spiritus, quatenus Deum habent authorem; usus tamen loquendi in Scripturis obtinet, ut per Spiritum Dei intelligatur tertia SS. Trinitatis persona: Quo modo Paulus ait: πνεῦμα θεῶ ἐνοικεῖ ἐν ὑμῖν 1. Cor. III. 16. VI. 19 Spiritus autem, quem Deus mittit, sigillatim est descriptio personae diuinae. Leguntur quidem et πνεύματα λειτουργικά ἀποστέλλεται Ebr. I. 14. Sed hic locutio pluralis facile euincit, intelligendos esse Spiritus creatos; Alia est ratio Spiritus, μονοτρόπως et ἑξαρέτως talis, qui non nisi Deus esse potest. Sed si cui uideantur haec argumenta non satis habere ponderis, ad euincendam Sp. S. Deitatem, eum ad meditanda attributa diuina prouocamus, quae cui tribuantur, is pro summo Deo haberi, agnoscitur. Ita

Sap. I. 7. legitur πνεῦμα κυρία πεπληρωκεναι την οικουμένην, quo ipso omnipraesentia ipsi tribuitur; et, dum additur, συνεχεν τα πάντα, conseruatio rerum omnium ipsi uindicatur, quae utique absque omnipraesentia esse non potest. Similia inuenias Sap. VII. 23. ubi dicitur πνεῦμα δια πάντων χωρεῖν πνευμάτων, omnes Spiritus peruadere, et perscrutari, quae est omniscientia, per Apostolum quoque tributa Spiritui Sancto, dum ait, πνεῦμα ἐρευνᾷ τα πάντα, καὶ τα βάθη τῆς θεῆς. I. Cor. II. 10. Reliquum omittimus, quia haec iudicii satis faciunt, quod Apocryphi autores Sp. S. Deitatem agnouerint.

§. II. Agnouerunt etiam opera uere diuina, eademque Spiritui Sancto tribuerunt, sicuti paulo ante uidimus, quod prouidentiam, seu συνοχήν πάντων ipsi uendicarint. Multa autem huiusmodi opera colligi possent, si prolixos esse liceret, ex Sap. I. 6. ubi Spiritus ille celebratur: Φιλάνθρωπον πνεῦμα, ὃ ἐκ ἀθώως βλάσφημον ἀπὸ χειλέων αὐτῆς, ὅτι τῶν νεφρῶν αὐτῆς μάρτυς ὁ θεός, καὶ τῆς καρδίας αὐτῆς ἐπισκοπὸς ἀληθῆς. Hic sane multa cumulantur, quibus diuinitas agnita deprehenditur, (1) Φιλανθρωπία πνεύματος, quam Deo attribuit Paulus Tit. III. 4. (2.) iusticia, quae scelera hominum non potest impunita dimittere, nisi interueniente poenitentia, expientur. (3.) καρδιογνωσία, quae folius Dei idioma est Act. I. 24. (4.) Veracitas, qua Spiritus ille neque falli in cognitione occultissimorum, neque fallere in iudiciis suis potest. Quae uti ad oculum commonstrant, Apocryphos confessos esse Spiritus S. Deitatem, ita insuper monemus, ipsos cultum diuinum huic Spiritui detulisse. Quo nihil potest esse luculentius, si modo intueamur Sap. I. 5. 6. 7. ubi seuerissima, quam ibi uidemus, admonitio, nihil aliud indicat, quam intima cordis reuerentia et animi puritate prosequendum esse Spiritum S. Id uero est, religiosum, folique Deo proprium, cultum ipsi exhibere.

THESIS XIII.

Testantur etiam scriptores Apocryphi, se Spiritum S. habuisse pro persona diuina, eademque a Patre et Filio diuersa.

§. I.

ET personam quidem arguunt actiones, ex intellectus iudicio et uoluntatis libertate procedentes. Quales sunt, φεύγειν ὄλον, quod

quod de Spiritu hoc legitur Sap. I. 7. *οικοδομεν*, quod de ipso prae-
dicatur Sap. XVI. 14. Illa autem absque accuratissima rerum cogni-
tione, cognitarumque diiudicatione fieri non posse, admodum
manifestum est: Nam prudens malorum fuga oculum mentis prae-
requirit, qui, quid fugiendum sit, quid sequendum, ante cogno-
scat. *οικοδομη* etiam seu dispensatio, qualis praecipue in provi-
dentia compareret, utramque uim, et intellectus discernentis, et uo-
luntatis eligentis postulat. Proinde cum haec legamus tributa
Spiritui Sancto, quis dubitabit, ipsum pro persona fuisse agnitum?
Sed et, quae supra uidimus, ipsi tribui *καρπογονιασαν*, omnium re-
rum conseruationem et gubernationem, ea ostendunt, pro diui-
na persona Spiritum Sanctum ab his autoribus habitum. Eoque
ipso quam longissime recedunt ab Antitrinitariis quibusque, qui,
cum unam tantum esse personam contendant, de Spiritu impie rhe-
toricantur, uirtutem illam esse in rebus creatis, asserentes. Ut
obseruat A. C. Art. I.

§. II. Hoc itaque potissimum demonstrandum erit, hos li-
bros de Spiritu S. loqui, tanquam de persona, a Patre et Filio di-
stincta. Neque tamen haec demonstratio operosa uidebitur,
cui cognita sunt, quae superius adduximus. Nam Sap. XVI. 14.
dum de Deo dicitur, *απεστειλας το πνευμα σου*, manifestum discrimen
ponitur inter mittentem et missum. Item cum Sap. I. 7. af-
feritur, *οτι πνευμα κρησ απληρωκε την οικουμένην*, aequae apertum
discrimen adstruitur inter Dominum, eiusque Spiritum. Quae
loquendi formae habent etiam in Scripturis Canonicis consensum,
sicut ex ante citatis constare potest: Ut Es. XLIX. 16. Nunc mit-
tit me Deus, et Spiritum suum. Itemque Ioh. XIV. 16. *Εγω ερωτη-
σω τον πατερα, και αλλον παρακλητον δωσει υμιν*. Ex quibus atque
similibus locis arguere licet: Quicumque ab aliis differt, ut missus a
mittentibus, datus a dantibus, is est distincta ab ipsis persona. A.
Spiritus S. a Patre atque Filio differt, ut missus a mittentibus, da-
tus a dantibus; Ergo est distincta ab ipsis persona. Quam expressam
ratiocinationem licet in his libris non reperiamus; quia tamen me-
dios terminos toties adhibuerunt, unde haec collectio fluit, neces-
se est, agnoscamus, ipsos totum hoc dogma perspectum habuisse.

THESIS

THESIS XIV.

Externus Spiritus S. character, sanctificatio, pariter
in his libris ipsi assignatur, indicatis donis eius.

§. I

SVnt illa dona sanctificantia uel immediata, uel mediata. Illa, quibus ipse illorum possessor sanctus redditur; haec autem, per quae alii sanctificantur, adeoque ex parte Dei se habent instar medii, quo ipse homines sanctificat. Illa, quae et speciatim sanctificantia dicuntur, uel instar παρασκευάσεως sese habent, ut informatio de nostra miseria, qua Spiritus ille per legem fungitur, et πνεῦμα παιδείας, expropter uocatur Sap. I. 5. Et redargutio, seu exprobratio nostrorum peccatorum, cum ἀφάρτου τῶ θεῷ πνεῦμα ἐστὶν ἐν πᾶσι, καὶ τὰς παραπτώματας κατ' ὀλίγον ἐλέγχει. Sap. XII. 1. 2. Quem Spiritus S. ἐλέγχει Spiritui S. quoque assignat Christus Ioh. XVI. 8. Vel κατασκευάσεως more peraguntur, quibus ipsa sanctitas confertur, cuius respectu πνεῦμα συνέσεως nuncupatur Sir. XXXIX. 6. Sicut et Siracides praedicat, quod Deus per Spiritum S. suum praenuntiauerit sapientiam, ut iustus Ionas ex Versione B. Lutheri Sir. I. 7. legit, quae tamen Verba in Graeco non habentur. Conueniunt tamen cum mente ipsius Christi, dicentis: τὸ πνεῦμα μαρτυρήσει περὶ ἐμοῦ. Ioh. XV. 26. Vel ut Ioh. XVI. 14. idem eloquitur, δοξάσει με. Contingit itaque proprie sanctificationi eo pacto, dum Spiritus S. per uerbum Euangelii ad Iesum uocat, fidem ingenerat, et conuertit, ut, prehensio Iesu, in ipso euadamus sancti et immaculati, Eph. V. 27. et ex uiribus illis gratiae incipiamus uera sanctitatis opera praestare.

§. II. Illa autem dona, quae mediate sanctificantia diximus, quia ipsa per se et formaliter non sanctificant, sed ad id conducunt, ut per ea sanctificentur alii, ministrantia alias audiunt. Haec ipsa quoque Spiritui S. peculiariter uendicantur, idque in his quoque libris. Faciunt autem mentionem donorum partim extraordinariorum, qualia in Elia et Elisa agnoscuntur Sir. XLIX. 12. Ἐλισαεὶ ἐνεπαλήθη πνεύματος αὐτοῦ. Item in Esaia Sir. XLIX. 24. Πνεύματι μεγάλῳ εἶδὲ τὰ ἔσχατα, καὶ παρειάλασε τὰς πενθόντας ἐν Σιών. Partim ordinariorum, quae in semetipso agnoscit Sapientiae Author, et per ordinaria media sibi obtrigisse, memorat Sap. VII. 7. Ἦλθὲ μοι πνεῦμα σοφίας, καὶ φρόνησις ἐδόθη μοι. Dona ista, etfi

et si tam patrem et Filium pro causa agnoscunt, quam Spiritum S. quia tamen Spiritui S. in his quoque libris peculiariter assignantur, hoc argumento est, hanc notam Spiritus S. characteristicam externam ab Apocryphis quoque agnosci.

THESIS XV.

Ex adstructis illis, quod Apocryphi Trinunitatis Mysterium agnouerint, sequitur, ipsos mutua quoque Personarum *ἐνὺπαρξιν* credidisse.

§. I.

Possemus haec nullo negotio prolixius persequi, nisi exigui, quibus nosmet coërcere oportet, cancelli nos prohiberent. Illud tantum uolumus, hos autores scientes uolentesque admisisse, personas SS. Trinitatis sibi mutuo inexistere; adeoque non negaturos fuisse, si quis rogasset, anne Pater in Filio, et Spiritu S. Filius in Patre et Spiritu S. et Spiritus S. et in Patre et in Filio existat? Sed haec omnia asserturos fuisse magna seueritate, ea tantum adhibita cautione, ut intelligeretur non crassa et physica, sed spiritualis, supernaturalis, et captu nostro sublimior *ἐνχώρησις καὶ ἐνὺπαρξις*. Quidni enim ita persuasum habeamus? Cum iam superius audiuerimus, Sap. VII. 22. legi, *ἐν τῇ σοφίᾳ εἶναι πνεῦμα νοεγόν*; in ipsa substantiali atque personali sapientia esse Spiritum illum intelligentem. Vtrumque autem ita descriperat, ut incertum prorsus non sit, ipsum personas innuere. Docere itaque uoluit, se credere, quod filius in Spiritu, et Spiritus in Filio existat. Eadem opera, quod uolumus, conficiemus, ex Sap. IX. 4. Vbi *σοφία τῶν τῆ πατρὸς θεῶν παρθερος* dicitur. Thronus autem Dei est infinitus, itaque et, sapientiam in infinito illo throno considerare, docet, hoc est, Sapientiam illam in Patre, et Patrem in illa Sapientia esse. Nam ubi duo in infinito ubi atque axiomate simul esse praedicantur, ibi alterum in altero existere, necesse est. Momento autem non uacat, quod Sapientia illa *παρθερος*, quasi iuxta Deum sedens, appellatur: Eopse enim asserto ostenditur, Sapientiam hanc esse aliam atque diuersam a Patre personam, quae paris atque aequalis prorsus sit maiestatis atque dignitatis. Si libeat progredi ad u. 9. Vbi ita: *μετά σε ἡ σοφία, ἡ εἰδύια τὰ ἔργα*

D

σς,

est, non minoris ponderis argumenta inueniremus, pro asserenda personarum in semet inuicem existentia.

§. II. Sed sunt alia, quae ex ταυτότητι essentiae atque diuersitate Personarum fluere, admittenda sunt. Scilicet aequalitas omnimoda inter tres illas personas, qua et paritas aeternitatis, sapientiae, potentiae, atque dignitatis omnino sunt. Neque haec aequalitas tantum ex eo, quod dixi, principio consequitur, sed et communio atque identitas perfectionum essentialium, ita quidem, ut non alia Patris, quam Filii et Spiritus S. aeternitas; Non alia Filii, quam Patris et Spiritus S. gloria; Non alia Spiritus S. quam Patris et Filii sapientia stutuenda aut admittenda sit. Nam illud profus fuit ex illo συνδροτισμῶ, seu παρεδρία, quam antea ex Sap. IX. 4. agnouimus. Quid? quod operum quoque essentialium summa identitas exinde merito concludatur? Si enim, uti diximus, Sapientia est in Domino, et Spiritus in sapientia, quidni exinde concludamus, harum personarum eadem esse opera seu interna, seu externa, quatenus illa ex ipsa essentia prodeunt? Sane ita nos instruit Seruator Ioh. XVI. 13. Spiritum Sanctum, quae loquatur, ex se; se autem ex Patre sumere; propter summam essentiae ταυτότητα Ioh. X. 30. Sed nostrum nunc erat, ostendere, idem dogma amplexos esse Apocryphorum autores; id quod praestitisse nobis, quantum satis est, uidemur:

THESIS XVI.

Inde nos inferimus merito, **Mysterium Trinitatis in unitate ita necessarium esse creditu, ut, qui illud inficiatur, salutis aeternae haud dubie sit exhaeres.**

§. I.

ITa suo tempore docuit Athanasius: Quicumque uelit saluus esse, **I**ei ante omnia opus esse, ut teneat Catholicam fidem. Quam, nisi integram inuiolatamque seruet, absque dubio in aeternum periturum. Iamque addit: πισις δε καθολικη αυτη εστιν, ινα ενα θεον εντρι-
αδι, και τριαδα εν μοναδι σεβασμεθα. Sed hoc ita asseuerat Sanctus Vir, ut assertionis suae fundamenta ex Scripturis repeteret: Et si enim nusquam in S. Codice eodem ordine, totidemque literis haec legamus, res ipsa tamen ibi deprehenditur. Ita scilicet Christus Ioh. XVII. 3. Αυτη εστιν η αιωνιος ζωη, ινα γνωστωσι σε, τον μονον αλη-
θινον

Θεὸν Θεόν, καὶ, ὃν ἀπέστειλας Ἰησοῦν χριστόν. Ita Iohannes I. Epist. II. 23. Πᾶς, ὁ ἀρνούμενος τὸν υἱὸν ἀδὲ τὸν πατέρα ἔχει. i. Ioh. V. 12. ὁ ἔχων τὸν υἱὸν, ἔχει τὴν ζωὴν, ὁ μὴ ἔχων τὸν υἱὸν τὴ θεῶν, τὴν ζωὴν οὐκ ἔχει. Ioh. V. 23. ἵνα πάντες τιμῶσι τὸν υἱὸν, καθὼς τιμῶσι τὸν πατέρα. Ὁ μὴ τιμῶν τὸν υἱὸν, οὐ τιμᾷ τὸν πατέρα, τὸν πέμψαντα αὐτόν. i. Cor XII. 3. οὐδεὶς δύναται εἰπεῖν κύριον Ἰησοῦν, εἰ μὴ ἐν πνεύματι ἀγίῳ. Quae, et alia dicta, copiam faciunt, ita colligendi: Absque quo non habemus Iesum, eius notitia est necessaria ad salutem. A. absque Spiritu S. etc. Porro: Absque quo neque Patrem habemus, eius cognitio est necessaria ad salutem. A. absque Filio etc. Ita, omnibus recte reputatis, et inter seinuicem collatis, necessitas credendi SS. Trinitatem ad oculum patet.

§. II. Sed nos illud exinde quoque arguimus, quia difficillimis etiam temporibus hoc dogma, a quo tamen ratio naturalis abhorret, in Ecclesia conseruatum est. Ante lapsum illud reuelatum esse protoplastis, ex Gen. I. 1. 2. 3. 26. 27. constare potest. Post lapsum, cum concreatae notitiae uehementer obscuratae essent, idem repetitum, et denuo inculcatum esse, apparet Gen. III. 22. Patriarcharum tempore illud studiosissime traditum, et sincera fide seruatum fuisse, benedictio Iacobi Gen. XLIX. 15. 16. luculenter docere potest: Nam ibi et Dei, coram quo patres ambularint; et Dei, qui ipsum enutrierit; et angeli, qui ipsum liberauerit, facit mentionem, et demum his, tanquam uni tribuit auctoritatem atque potestatem benedicendi. Prophetarum aeuo, quanta feueritate illud dogma fuerit explicatum, cum multa alia loca docent; tum praecipue Ef. XXXIII. 22. XLIX. 16. LXIV. 9. 10. Post tempora Prophetarum, antequam magnus Propheta, Christus aduentaret, sancte hanc fidem Trinitatis fuisse conseruatam, hoc ipso μελετήματι nostro constitit. Christus autem et Apostoli multo luculentissime hoc dogma proposuerunt, et explicuerunt. Atque effecit diuina prouidentia, quae hominum salutem praecipue cordi sibi habet, ut in hunc usque diem saluum illud et intaminatum, in toto orbe Christiano uigeat.

THESIS XVII.

Aliis tamen atque aliis subinde nominibus appellatae sunt illae tres Deitatis personae,

D 2

§. I.

ET commune quidem personae seu ὑποστάσεως nomen designantur Henricus Nicolai, Quackeri, et communis ille portentosarum opinionum patronus, Arnoldus; Sed prorsus absque sonifica causa. Ut enim largiamur, ad explicandum, quantum ad salutem sufficit, hoc mysterium non absoluta necessitate requiri; nunc tamen, cum hoc uocabulum ab uniuersa Ecclesia receptum sit, et ueneranda quasi canitie gaudeat, in gratiam inepte delicatolorum id repudiare nefas sit. Nam (1.) res ipsa solidissime in Scripturis est fundata. Persona describitur, quod sit *suppositum intelligens*; Vel, ut Aug. Conf. Art. I. exprimitur, id quod proprie subsistit; Vel, si magis arrideat B. Hutteri L. II. qu. 10. descriptio: *Persona est subsistens, uiuum, indiuiduum, intelligens, incommunicabile, non sustentatum ab alio*; Graece ὑφιστάμενον. Quae iam sigillatim applicentur ad Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, atque comperietur, belle conuenire. Licuerit itaque rem, quae uere datur, conuenienti nomine exprimere. (2.) B. Athanasius Symb. u. 4. et 5. confidenter ita loquitur: *Μήτε συγχέοντες τὰς ὑποστάσεις, μήτε τὴν ἑσάν μερζόντες. Ἄλλη γὰρ ἐστὶν ἡ ὑπόστασις τῆ πατρὸς, ἄλλη τῆ υἱῆ, ἄλλη τῆ ἀγίῆ πνεύματος.* Quae confessio ab uniuersa Ecclesia semper constanti cum reuerentia fuit recepta. (3.) Nauseabundi ingenii est, fastidire, quod omnium credentium consensu receptum, et quasi diuino nutu approbatum est. (4.) Neque ὑποστάσεως uox Canonica auctoritate destituitur: Quid enim sibi uult, quod Ebr. I. 3. dicitur ὁ υἱὸς χαρακτήρ τῆς ὑποστάσεως τῆ πατρὸς? Certe non hoc, quod filius sit character essentiae Patris? id enim ne explicari quidem citra contradictionis implicationem posset; Sed quod personae Patris character atque nota sit; Sicut relata correlatorum suorum rationem exprimunt. Quod autem Graece ὑπόστασις dicitur, id Latine personam appellare, par erit.

§. II. Quod ad singularum personarum appellationes attinet, illae hodie ex uniuersali Ecclesiae consensu sunt Patris, Filii et Spiritus Sancti, postquam ex mandato Seruatoris ad Christianismum in initiamur baptismali formula: *εἰς τὸ ὄνομα τῆ πατρὸς, καὶ τῆ υἱῆ, καὶ τῆ ἀγίῆ πνεύματος.* Matth. XXII. 19. Quae nomina etiam in baptismo Christi partim expressa, partim satis euidenter insinuatata sunt; dum Spiritus dicitur columbae instar descendisse de coelo;

lo; et uox de cœlo clamasse: *οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου, ὁ ἀγαπητός*; quæ uox et Patrem compellantem, et Filium compellatum infert. Ex Apocryphis produximus nomen Patris Sir. Ll. 10. *υἱοῦ* seu Filii notio in ipsis de Deo usurpata, non occurrit; cuius loco est uox *κυρις* et *σοφίας*, quorum illud Pf. CX. 1. hoc Prou. IIX. 22. etiam extat. Spiritus Sanctus uero frequenter ibi nominatim inducitur. In Veteri Testamento, post constitutam rempublicam Israeliticam frequentata sunt de his personis nomina Patris 2. Sam. VII. 14. et Filii I. c. Pf. II. 7. Prou. XXX. 4. Dan. III. 25. et Spiritus Sancti Pf. XXXIII. 6. At si superiora retro secula perueffigemus, quibus Patriarchæ ante et post diluuium Ecclesiæ præfuerunt, inuenimus usurpata nomina Domini Gen. VI. 3. Angeli XLIX. 16. et Spiritus VI. 3.

THESIS XIIX.

Inde liquidum est, ut caetera, ita hoc quoque SS. Trinunitatis mysterium, maiori luce in N. T. quam in Veteri, reuelatum esse.

§. I.

Agnouerunt maiorem istam lucem uiri, a Deo illuminati; Prophetæ, qui eam prædixerunt. Ef. IX. 2. XLIX. 6. Zach. XIV. 7. Et Scriptores Noui Testamenti, qui hæc uaticinia impleta uiderunt, ut Paulus Rom. XIII. 11. 12. Possemus eum illustriorem claritatis gradum circa plurima dogmata, præcipue uero de Christo ostendere, nisi iam SS. Trinunitatis mysterium nos occupatos teneret: Circa quod ita perspicui sunt N. T. scriptores, ut claris sæpe disertisque uerbis proponant, quod olim uix operosa ratiocinatione, colligebatur. Vt uero aliquem in enarrandis obseruemus ordinem, prædicamus maiorem lucem (1.) in recensendis nominibus, quibus hæc personæ insigniuntur, quæ hic fere constanter et uno modo adducuntur, Patris, Filii et Spiritus S. reliquis etiam, quæ Prophetarum tempore usitata erant, non prætermittis; Sed, illustrationis ergo, subinde adductis. (2.) In assignandis originibus Personarum, quæ in N. T. sic explicantur, ut Pater nusquam legatur ab alio uel ortus uel missus; Filius a solo Patre et ortus et missus; Spiritus denique S. a Patre et Filio et ortus et missus. (3.) In exprimendis characteribus personalibus:

D 3

Nam

Nam si Pater neque est a quoquam, et tamen et Filio et Spiritui S. essentiam largitur, quod N. T. Scriptores tradunt; constat utique, eius characterem esse ἀγεννησίαν, h. e. ut ea uox interpretatione eget, negationem originis passivae, et largitionem originis activae, cum insequente duplici respectu, altero ad Filium, altero ad Spiritum Sanctum. Si Filius est a solo Patre, et una cum Patre producit Spiritum S. sequitur eius characterem personalem esse duplicem respectum, passivum erga Patrem, activum erga Spiritum Sanctum. Si denique Spiritus S. est a Patre et Filio, certum est, eius characterem esse respectum mere passivum, eundemque simplicem tantum, ob simplicissimum principium spiracium, quod est Pater et Filius.

§. II. Iungimus his maiorem claritatem (4.) in describendo Personarum ordine. Postquam enim constat, quae a qua oritur, etiam innotescit simul, quae et quomodo alia persona uel prior, uel posterior sit dicenda. (5.) In subsistentiis, seu personalitatibus dextre explicandis: Ita nemini, qui Apostolorum scripta sedulo uoluit, obscurum esse potest, personalitatem Patris inuoluere modum, habendi essentiam diuinam ἀγεννητός; seu absque omni origine, ab alia persona arcessenda; Personalitatem uero Filii designare modum habendi essentiam diuinam γεννητός, seu ea ratione, ut per aeternam et imperuestigabilem generationem sit communicata; Personalitatem Spiritus S. dicere modum, habendi essentiam diuinam ἐκπροσειδώς, seu per aeternam a Patre et Filio processionem, seu, ut alii loqui solent, spirationem. (6.) In consequentiis personalibus, quae sunt missiones diuinarum Personarum. Quando certum est, quod missio in diuinis praesupponat originem, seu ut plenius dicam, quod nulla persona mitti queat ab alia, nisi, quae ab ipsa producat. Exinde iam collectu per est facile, Patrem nunquam missum esse uel datum hominibus, cum illud implicet, non esse alio origine posteriorem, et tamen ab illo mitti. Filium a solo Patre mitti et datum esse Ioh. III. 16. quia a solo Patre habeat essentiam, eoque ratione ortus, imo et ordinis esse posteriorem; A Spiritu S. autem neque missum unquam, neque mitti posse, quia ordine personali, ex origine resultante, est eo prior. Denique Spiritum S. et a Patre et a Filio mitti, non tanquam a duobus principiis, sed tanquam ab uno eodemque simplicissimo, quod intelligendum sit, remota omni causalitatis persuasionem: cum Pater et Fili-

Filius sint unum simplicissimumque principium productivum Spiritus Sancti. Interim haec genuina est ratio, cur Christus dicat, *se πέμπει τὸ πνεῦμα παρα τῆ πατρὸς.* Ioh. XV. 26. Hae sanae veritates circa hoc mysterium nunc longe evidentius traduntur, quam olim.

THESIS XIX.

Platonis atque Platoniorum Trinitas a nostra, Christianorum, est longe diversissima.

§. I.

Egit quidem Plato id de industria, ut mentem suam de Trinitate quam profitebatur, obscuraret, et sectatoribus suis negotium facesseret, ipsum mirandi potius, quam intelligenter interpretandi. Id tamen ex eius monumentis liquet, ipsum Trinitatem docuisse, quae cum nostra, praeter nomen, nihil habeat commune. Illustrissimus eius de hoc argumento locus est in Epist. II. ad Dionys. ubi haec inuenimus. *Περὶ τὸν πάντων βασιλέα πάντ' ἐστὶ, καὶ ἐκεῖνος ἕνεκα πάντα, καὶ ἐκεῖνο ἄριστον ἀπάντων τῶν καλῶν. Δεύτερον δὲ περὶ τὰ δεύτερα, καὶ τρίτον περὶ τὰ τρίτα.* Circa omnium regem sunt omnia, et ipsius quidem causa omnia, atque ea est causa omnium bonorum. Secunda uero circa secunda, et tertia circa tertia. In hoc uelo retegendo mirum quantum desudarunt interpretes. Marsilius Ficinus, quem interpretum Latinorum principem existimant, ad tres ordines formarum, rationum et idearum retulit. Ordinem formarum ad animam mundi; Ordinem rationum ad mentem, anima altiolem; ordinem denique idearum ad ipsum bonum reduxit. At hoc non est interpretari, sed aenigmata cumulare. Porphyrius L. IV. Hist. Phil. ita. *Vsque ad tres substantias dicit Plato progredi Dei essentiam, et esse quidem summe Deum bonum, post illum autem secundum creatorem, tertiam autem mundi animam.* Atque hanc Trinitatem suam Platonicis modo *σοφίας* modo *ὑποστάσεως* definiunt. Vid. B. Colberg. Christ. Platon. Hermet. P. I. p. 8. seq. P. II. 76. seqq. Michaelis Dau Dissert. Philof. de Trinit. Platonis, Dorpati Anno 1696. d. 2. Maji habita. Nos, quibus prolixioribus esse non licet, obseruamus (1.) In hac Trinitate essentiam diuinam multiplicari, et triplicem statui; quod in nostra prorsus aliter habet, ubi *τρεῖς τὸ ἓν εἶσι* 1. Ioh. V. 7. (2.) Ex essentia illis aliam alia esse excellentiorem atque beatiorem, aliam

con-

contra ignobiliorem. Cum in nostra Trinitate summa essentiae ταυτότης inferat trium personarum omnimodam aequalitatem. πατρός, καὶ υἱῶ, καὶ ἁγίου πνεύματος μία ἐστὶν ἡ Θεότης, ἴση ἡ δόξα, συναϊδίως ἡ μεγαλειότης, ut habet Symb. Athan. us. 6. (3.) Nominibus exprimitur haec Trinitas, quae ab usu Scripturarum plane abhorrent. (4.) Platonica illa, praeter fictionem Platonis, nullum aliud habet principium, adeoque in puro puto figmento consistit. Nostra autem reuera talis est, qualis praedicatur, asseuerantibus id Scriptis, omni humana dubitatione sublimioribus, ita quidem, ut, qui eam profiteretur, cum Paulo asseuerare possit. ἀλήθειαν λέγω ἐν χειρὶ σῶ, ἢ ψεύδομαι, συμμαρτυρήσῃς μοι τῆς συνειδήσεώς μου ἐν πνεύματι ἁγίῳ Rom. IX. 1.

§. II. Id saltem luce clarius patere existimo, Libros, quos examinauimus, Apocryphos, Mysterium Trinitatis tradere, imo et materiam iusto tractatui, si quis immorari uelit, hac de re suppeditare posse. Patet et hoc, putidum esse mendacium, et temerarium ἔγκλημα, cum Sociniani perhibent, dogma Trinitatis, ex lacunis Platonis arcessendum, ante Iustini Martyris tempora prorsus in Ecclesia inauditum fuisse. Nos Trinunum illud Numen, quo neglecto, nullum, quod suppetias ferat, superest, deuote ueneramur, ut in sui agnitione nos conseruet, et tandem ad coelestis gaudii commercium euehat, ubi sine fine ingeminemus.

Gloria sit Patri! Nato sit gloria!

Sancto

Gloria Spiritui! Triadi sit gloria

Sanctae!

Fr. Edm.

St. Maria

St. Michael

St. Johannes

St. Peter

St. Paulus

St. Agathe

St. Barbara

St. Ursula

St. Katharina

St. Margareta

St. Verena

St. Walburga

St. Hildegard

St. Gertrud

St. Elisabeth

St. Anna

St. Margaretha

St. Barbara

St. Ursula

St. Katharina

St. Verena

St. Walburga

St. Hildegard

St. Gertrud

I, A

